





Ung VI 3

ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA VVITTENBERGENSI
DECANUS,
M. AUGUSTUS
VVOLFIUS,
LOEBEJUNA MAGDEBURGICUS,
COLLEGII EJUSDEM ADJUNCTUS,
INGENUARUM ARTIUM ET PHI-
LOSOPHÆ STUDIO SIS


S. D.



52
Eminem, opinor, fugit Epicharmium il-
lud, & ab Oratorum Principe repetitum,
*Nervos atque artus esse Sapientiæ non te-
mere credere*; dictum profecto plenum
Sapientiæ, omnibusque tenendum probe
ac merito observandum. Quod tamen non eo spe-
ctat, ut interpretemur perperam, ac si vetustus Sapi-
entum Ordo nihil certi unquam de rebus statuerit,
quin de omnibus dubitandum potius ac ambigendum,
fluctuanti similis, putarit. Nam longè alia scribendi
scrutandique ratio ei constabat, quippe qui docere nos
& admonere hanc sententiã voluit, omnes, quotquot
nomen titulumque Sapiientis cum laude tueri gesti-
unt, tum demum voti compotes futuros, si in scrutan-
dis Sapientiæ studiis omnem atque indefessam operam
ponant, nec prius cuiquam se addicant, aut in Doctoris
verba jurent, quam veritatis ratio explorata sit penitus
atque perspecta. Non equidem ibo inficias, Philosophũ
inter Græcos perspicacissimum aliquid dubitationi
tribuisse, & haut incitum de ea sermonem instituisse,
ἔστι τε τοῖς εὐπορεῖσσι βεβλομένοις Περίεργον τὸ Διαπορεῖσθαι καλῶς :
quo sanè indicat exquisitissimus Præceptor, esse operæ
pretium, rectè & sapienter dubitare, cujus rei causa &
vires animi, & temporis spacium requirit. Verum non
de quavis hoc dixit ac sensit dubitatione Græcorum
Sapientissimus, quandoquidem in abditis abstrusisque
rebus eam concedit, ubi non alia expediendæ difficul-
tatis ratio est in promptu. De recto hoc dubitandi ge-
nere graviter, & in argumento Sapientiæ non inele-
ganter, Angliæ suæ decus Franciscus Baco de Verula-
mio, scripsit: *Dubitatio, inquit, pars est scientiæ non con-
temnenda. Et paucis interjectis: Attamen in hac re
adhibenda est cautio magni utiq; momenti. Dubiorum
commemoratio est propositio duplicem in se habens fru-
ctum: Unum quod Philosophiam munit contra errores,
quando id, quod non plane liquet, non judicatur aut asse-
ritur*

ritur (ne error errorem gigneret) sed suspenditur de eo
judicium, & non fit positivum. Alterum quod dubitatio-
nes in codicillos relatæ, totidem spongiæ sint, quæ incre-
menta scientiæ perpetuo ad se sugant, & alliciant, unde
fit, ut illa, quæ, nisi præcessissent, dubitationes, leviter &
sicco pede tâansmissæ fuissent, dubitationum admonitu
attente & studiose observentur. Quam viam cum multi
non fatis caute ingressi, neque, ut par est, religiose phi-
losophati sint, tum nimia hæc philosophandi libertas
in vitium vertit, & plerosque eo deducit, ut projectissi-
mæ audaciæ Spinozam secuti, de præpotentis & æter-
ni NUMINIS Veritate, non sine summa Christianæ reli-
gionis labe, dubitandum putarent. Præterquam enim
quod impietatis iste Doctor sanctissima juris naturalis
fundamenta convellit, omnes etiam & humanæ socie-
tatis rationes regulasque pervertit, & ipsa adeo rerum
publicarum vincula, legumque repagula, aufu quodam
cyclopico, quem nulla inanis tuetur subtilitas, perfrin-
git. Non afferam Sapientum testimonia, numero plura,
& pondere maxima, sed libens conqviescam in unius
auctoritate Præfulis, qui non magis de coetu Hipponen-
sium, quam de re Christiana in universum promeritus
est, religionisque constanter defensæ unus inter omnes
maximè palmam tulit: *Nullus unquam potuit inveniri,*
qui non hoc Deum crediderit esse, quo melius aliquid non
est. Non igitur non temere Spinozam sequuntur, qui
sua quidem opinione ad veram emendatamque Sa-
pientiam contendunt, revera autem deflectunt à via,
& præcipites feruntur, etiam sæpe ii, qui in diversa ire,
& dissentire ab eo videri volunt. Sed si propius inspi-
cias, penitusque excutias, omnino deterrimi hujus do-
ctoris similes deprehendas, propterea, quod non do-
ctrinæ, sed famæ ferviant, nec veritatis investigandæ
studio, sed ambitionis quodam pravo, & quem nulla
ratio continet, impetu rapiuntur. Quibus rebus fit,
ut simul eruditionis pretium, & eruditorum honor exo-
lelcat

lescat passim & intercідat, sublataque meritorum re-
verentia, illiberaliter prorsus & inauspicato tollatur.
Nemo enim sit, qui non erubescendum putet, laceffe-
re praestantissimos doctrinae Magistros, omnis litera-
rum peritia usque instructos, ut Sciorum reprehensionem merito effugiant, & vel ipsi hostes, in quibus ingenium est, talibus parcendum statuunt, atque ultro fateantur. Cum hoc agunt abutentes otio suo homines, illud cum primis & vehementer dolendum est, multos nec satis maturo iudicio artium cultores his male de Philosophia existimantium exemplis eo delabi, ut credant, frustra omnem in disciplinis consumi operam, quod cuncta ibi incerta & ambigua sint, nulloque stabili fundamento nitantur. Quae persuasio sicuti noxia est, ita omnes discentium rationes conturbat, & disciplinas atque artes, quibus alitur ingenium, veritasque defenditur, in praesentissimum amittendae literarum dignitatis periculum adducit, viamque denuo munit ad pristinam superstitionem, aut barbariem, quae Dei tamen beneficio nos liberatos esse jure gloriamur. Quamobrem id magnam Dei immortalis clementiam numero, quod haec Academia sedes repurgatae coelestis doctrinae, & domicilium verae, nec fucatae Sapientiae, etiamnum floret, nec minus sacra, quam literas, egregie fovet ac tuetur. Benigna mater bene consulit filiis, & ornamenta merentibus non invidet, sed ultro offert, & cumulate dilargitur; quin & me interprete publico, praemiorumque sponse, eamque ad rem certaminum Sapientiae iudice in praesens delecto, summos in Philosophia honores omnibus literatis Civibus, literarumque insignia merentibus, Dei munere, & SAXONIS INVICTI auspicio, ingenue, ac sine repulsa pollicetur. P. P. in Festo Visitationis Mariae, Anno recuperatae salutis
M D C X C V I.



Ang VI 3

WD 18
Vb 17





PHILOSOPHICI
 IN
 VVITTENBERGENSI
 ECANUS,
 IGUSTUS
 OLFIIUS,
 A MAGDEBURGICUS,
 ISDEM ADJUNCTUS,
 UM ARTIUM ET PHI-
 HLÆ STUDIO SIS

S. D.